



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorum Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

Parisiis, 1644

XIII. Minus malum, vt maius vitetur, est tolerandum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15588

ANNO
CELESTE
1753

hac parte mandatis parere, ipsos ab ecclesiis quas habent, ^{de Yd.}
appellatione remota, non differas spoliare.

C A P. XI.

De cetero quia Stephanus clericus * Deuellentin. in archidiaconatu prædicti archiepiscopi adulteram in domo sua & commatrem dicitur detinere: si hoc publicum est & manifestum, ob tantum excessum, animaduersione debita nullius contradictione & appellatione obstante, corrigas.

C A P. XII. *Idem.*

De diacono qui in sabbato sancto quemdam alium diaconum vulnerauit, & mulierem vxoris nomine suscepit, hoc prudentia tua duximus respondendum, quod si contrito & humiliato animo ad ecclesiam redire voluerit, dimissa illa quam in vxorem accepit, cum non possit (sicut nosti) contrahere matrimonium, ipsum recipere potes & absoluere a sententia excommunicationis, quam pro violenta manuum iniectione noscitur meruisse; & iniuncta sibi poenitentia de utroque excessu, post peractam poenitentiam poteris ei diaconatus officium reddere, & etiam dispensative, si perfecta vita & conuersonis fuerit, in presbyterum ordinare.

C A P. XIII. *Idem* Exonienſi episcopo.*

Significatum est nobis, quod quidam subdiaconi in tua dioecesi commorantes, matrimonium contrahere præsumperunt, & sicut laici quilibet cum uxoribus commorantur. Vnde quoniam id, sicut tua non ignorat discretio, sacrorum Canonum obuiat institutis: fraternitati tua, &c. quatenus cuiusmodi vita subdiaconi ante contractum matrimonium extiterint, & quales futuri credantur, si uxores dimiserint, diligenter ac studiose inquiras: & si eos honesta vita ante contractum matrimonium fuisset, aut dimisis illis quae uxores eorum esse dicuntur, casta viucturos credideris, tu ipsos mulieres a se dimittere moneas diligenter, & appellatione remota, districte compellas. Si autem antea dissoluta vita fuerint, aut illis, quas tenent, dimisis, in deteriora lapsuri credantur, & plures pro una frequentare: tu id dissimulare poteris, & pro grauiori lapsu

Infamiam
aboleri post
actam poenitentiam.

Malum dif-
fimulari.

ANNO
CHRISTI
1279.
vitando, quod insimul maneant sustinere: ita tamen quod
ad altaris ministerium non accedant, nec ecclesiastica
beneficia percipient. Verumtamen si tales* aliqui eccl-
esiæ personas gerunt, aut ecclesias, aut vxores prorsus di-
mittere sunt cogendi.

CAP. XIV.

Idem decano & canonicis Lincolniensibus vel Lemouicensibus.

Cum institisset apud nos lator præsentium H. parochia-
nus vester, vt de ordine subdiaconatus, ad quem reci-
piendum * minus enormiter & inordinate se ingesserat,
cum eo misericorditer ageremus, ne potuisset, sicut nec de-
buerat, in parte proficere: tandem tamen a nobis licen-
tiā postulauit, vt posset sibi aliquam in matrimonio co-
pulare. Nos itaque studiosius attendentes, quomodo præ-
dictus ordo cum nullam sibi dignitatem attulerit vel ho-
norem, matrimonium eius non impedit, discretioni ve-
stræ, &c. quatenus si matrimonium legitime duxerit con-
trahendum, nullus vestrū eum a contraēto matrimonio
prædicti ordinis obtentū prohibere præsumat, nec sibi pro-
pter hoc molestiam inferat vel grauamen.

CAP. XV. *Idem VVigorniensi episcopo.*

Ex parte prioris & fratrum de VVellebec nobis inno-
tuit, quod C. presbyter, qui habet vicariam in ecclesia
ipsorum de Hortun, publice concubinam tenet, & sicut
laicus quilibet tabernas frequentare non erubescit. Sed
quia indecens & rationi contrarium est, vt ii qui altario
seruiunt, seminarum amatores sint, cum eos sobrios &
castos esse oporteat: fraternitati tuæ, &c. quatenus rei ve-
ritate diligenter inquisita & cognita, si eum talem inuene-
ris, qualis esse describitur, ipsum ab eadem ecclesia, occa-
sione & appellatione cessante amoureas.